ANALECTA SACRA ET PROFANA

SCRIPSIT

ERNESTVS MAASS
PROFESSOR MARPVRGENSIS

APVD N. G. ELWERTVM
MARPVRGI MDCCCCI

ANALECTA SACRA ET PROFANA

I

De originibus S. Sophiae, ecclesiarum orientalium facile principis, antiquarius quidam byzantinus, cuius nomen ignoratur, Iustiniano certe posterior superest hodie non integer quidem, sed excerptus sexies. Excerptorum numerus sine mora eo comminuitur, quod ultima tria, quae sub Codini, infimae byzantinae aetatis scriptoris, nomine circumferuntur anno $\pm$ 1400 vix superioris, ex una eademque 'Patriorum urbis' sylloga hausta sunt anno 995 confecta, quemadmodum edixit nuper Krumbacher in 'Historia litterarum byzantinarum'[2] p. 423. Altera series Excerptorum *Παραστάσεις συντόμους χρονικάς* continet circa annum 750 compilatas (Krumbacher p. 424), tertiam Suidas in 'Lexico', quartam codex Parisinus supplementi graeci 607 A saeculi fere decimi membranaceus, e Graecia a Minoide Myna adlatus, rerum byzantinarum et aliarum miscellaneus. Vel hinc apparet antiquarium illum byzantinum probabiliter septimo fere saeculo esse reddendum. Cuius de S. Sophiae origine et primis fatis narrata e laciniis recomposui, quoad potui, recomposita interpretatus sum, ne diutius rerum narratarum bonitas lateret, codicibus fretus anteriorum novis nullis accitis. Ad *Παραστάσεις* adnotationem concinnavi criticam non e Bekkeri apparatu derivatam, ut ipse professus est, incerto sed e Bandurii editione p. 73 et 373, quamquam ne illum quidem tuta proposuisse e libris Parisinis bibliothecae nationalis 3058[3] 3058[4] Colbertino 3607 usu ipse expertus sum. Addendus quartus Parisinus fuisset 1027 e Bekkeri ad Codinum notatis p. 64 sq. et praef. p. XIV, dummodo plena Bekkeri et accurata esset adnotatio. Sperandum vero est fore ut perspecta nunc Excerptorum praestantia certiora et insuper nova e bibliothecarum thesauris promantur.

I. *Παραστάσεις σύντομοι χρονικαί* in Combefisii 'Originum rerumque Const. manipulo' (Paris. 1664) p 5, iteratae a Bandurio in 'Imperii orientalis' vol. III (Venetiis 1729) p. 73 *ἐν τῆι μεγάληι ἐκκλησίαι τῆι νῦν ὀνομαζομένηι Ἁγίαι Σοφίαι στῆλαι ἀφηιρέθησαν υξζ',*	II. Suidas s. v. *Σοφία* (II 2 p. 834 sq. B.) *ὅτι ἀπὸ τοῦ πλευροῦ τῆς Ἁγίας Σοφίας στῆλαι ἀφηιρέθησαν Ἑλληνικαὶ υξζ'*	III. *Περὶ στηλῶν τῶν ἐν τῆι Ἁγίαι Σοφίαι* in codice Paris. suppl. gr. 607 A ed. Treu, Ohlau 1880, p. 9 *ἐν τῆι μεγάληι ἐκκλησίαι τῆι Ἁγίαι Σοφίαι υξζ' στῆλαι ἀφηιρέθησαν*
αἱ πλεῖσται[1]) *μὲν Ἑλλήνων ὑπάρχουσαι, αἵ τινες*[2]) *ἐκ τῶν πολλῶν ὑπῆρχον, τοῦ τε ζεῦ † καὶ*[3]) *Διὸς καὶ Κάρου τοῦ πατρικίου*[4]) *[καὶ] Διοκλητιανοῦ καὶ τὸ δωδεκαζώδιον*[5]) *καὶ Σελήνη καὶ ἡ Ἀφροδίτη καὶ ὁ Ἀρκτοῦρος ἀστὴρ παρὰ δύο Περσικῶν στηλῶν βασταζόμενος καὶ ὁ νότιος πόλος*[6]) *καὶ ἡ ἱέρεια*[7]) *τῆς Ἀθηνᾶς ἀπὸ τοῦ πλευροῦ τὸν Ἥρωνα φιλόσοφον*[8]) *μαντευόμενον ἔχουσα.*	*θεῶν Ἑλληνικῶν καὶ Κάρου πατρωοῦ Διοκλητιανοῦ καὶ τῶν ιβ' ζωδίων,*	*τοῦ Διὸς καὶ Κάρου τοῦ πατροιοῦ τοῦ Διοκλητιανοῦ καὶ τῶν δώδεκα ζωδίων Σελήνης*[1]) *τε καὶ Ἀφροδίτης*[2]) *καὶ Ἀρκτούρου ὑπὸ δύο στηλῶν Περσικῶν βασταζομένων καὶ ὁ νότιος πόλος καὶ ἱέρεια*[3]) *τῆς Ἀθηνᾶς ἀπὸ τοῦ πλευροῦ τὸν Ἥρωνα τὸν φιλόσοφον μαντεύουσα*[4]). *καὶ ταῦτα μὲν Ἑλληνικά.*
ἐκ δὲ τῶν Χριστιανῶν οὐκ ὀλίγαι μὲν ὡσεὶ ὀγδοήκοντα. καὶ δέον ἐκ τῶν πολλῶν ὀλίγας μνημονεῦσαι, Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου[9]) *Κωνσταντίου Κώνσταντος Γάλλου*[10]) *χυαίστωρος*[11]) *Λικινίου Αὐγούστου Οὐαλεντινιανοῦ καὶ Θεοδοσίου καὶ Ἰουλιανοῦ Καίσαρος*[12]) *καὶ ἑτέρου Ἰουλιανοῦ ἐπάρχου Λικινίου Αὐγούστου Οὐαλεντινιανοῦ καὶ Θεοδοσίου καὶ Ἀρκαδίου υἱοῦ αὐτοῦ καὶ Σεραπίωνος ὑπάτου*[13]) *καὶ Ἑλένης μητρὸς Κωνσταντίνου τρεῖς, ἡ μὲν μία πορφυρᾶ διὰ μαρμάρων*[14]), *ἡ δὲ ἑτέρα διὰ ψηφίδων ἀργυρῶν ἐν χαλκῶι κίονι καὶ ἡ ἄλλη ἐλεφαντώδης Κύπρου ῥήτορος προσενέγκαντος.*	*βασιλέων δὲ Χριστιανῶν στῆλαι π'.*	*ἐκ δὲ τῶν Χριστιανῶν π' στῆλαι·* *Κωνσταντίου καὶ Κώνσταντος καὶ Γαλλίνου κοιαίστωρος*[5]) *Ἰουλιανοῦ ἐπάρχου Ἰουλιανοῦ Καίσαρος Λικινίου*[6]) *Αὐγούστου Οὐαλεντινιανοῦ καὶ Θεοδοσίου καὶ Ἀρκαδίου Σαραπίωνος ὑπατικοῦ, Ἑλένης τῆς μητρὸς Κωνσταντίνου τρεῖς.*
ἅστινας Ἰουστινιανὸς μερίσας ἐν τῆι[15]) *πόλει ναὸν μέγιστον ἀνήγειρε*[16]) *μετὰ πίστεως καὶ πόθου πολλοῦ*[17]). *οἱ δὲ πεπειραμένοι τῶν προειρημένων περιερχόμενοι τὴν πόλιν καὶ ζητοῦντες εὑρίσκουσιν οὐκ ὀλίγας.*	*ἃς Ἰουστινιανὸς μερίσας τῆι πόλει τὸν μέγαν ναὸν ὠικοδόμησεν.*	*ἃς Ἰουστινιανὸς μερίσας τῆι πόλει τὸν μέγαν νῦν ναὸν ὠικοδόμησεν.*

[1]) *πλεῖται*, Combefis ‖ [2]) *αἵ τινες* Parisini, *ἄν τινες* Combefis ‖ [3]) *τοῦ τε Ζεῦ καὶ* corrupta, *τοῦ τε Κρόνου* coni Banduri, cf. infra p. 6 ‖ [4]) *Κάρου τοῦ πατρικίου καὶ Δ.* Paris I et Colbert, omissis *καὶ Διοκλητιανοῦ* Paris II: *Κάρου πατρυοῦ Δ.* Combefis: *καὶ* cancellis inclusi ‖ [5]) *δωδεκάζωδον* libri ‖ [6]) *νομάτιος πῶλος*, unde *νομάδειος πῶλος* Lambecius (Codinus p. 224 Bekkeri), ut esset 'statua pulli equini capite proni, forma pascentis, quales in antiquis nummis spectantur plurimi': refutavit Banduri ‖ [7]) *ἡ ἱεριδία* vel *ἡ ἐριδία* Parisini ‖ [8]) *τὴν. Ἶριν ἀφιλοσόφως μαντεύουσαν ἔχουσα* Paris 3058 (quibus male usus est J. P. Richter 'Quellen der byz. Kunstgeschichte' p 13), *τὸν Ἥρωνα φ. βαστάζουσα ἤτοι μαντεύουσα* Paris I et Colbert, *τὸν Εἴρωνα φ. μαντεύουσα* Paris II ‖ [9]) hic Constantinus annis 337—340 regnavit: om ceteri ‖ [10]) *Γάλλου* Paris I Colbert: *Γαληνοῦ* Paris II; *Γαλλιηνοῦ* coni Lambecius, refutavit Banduri et perperam de Gallo fratre Iuliani cogitavit ‖ [11]) *χυαίστορος* libri, cf. III ‖ [12]) secutus sum Paris I: *Θεοδοσίου τε καὶ Ἰουλιανοῦ* (*Ἰουστινιανοῦ* Paris I) *καὶ Θεοδοσίου τοῦ ἑτέρου καὶ Ἀρκαδίου υἱοῦ αὐτοῦ* Paris II Colbert ‖ [13]) *ὑπάτου* Paris I, *ὑπατικοῦ* ceteri videntur ‖ [14]) *διαμαργάρων* Paris I II, hinc *διὰ μαργάρων* vel *διαμάργαρος* 'margaritis ornatus' Banduri ‖ [15]) *ἐν* om Combefis ‖ [16]) *τὸν ναὸν τὸν μέγιστον ἀνεγείρει* Combefis ‖ [17]) *πόνου* (sine *πολλοῦ*) Combefis

[1]) signum Lunae ‖ [2]) signum Veneris planetae ‖ [3]) *ἱερεῖα* ‖ [4]) activum *μαντεύω* in postrema graecitate non infrequens ‖ [5]) *κοιαίστωρος* *ι* post *ο* eadem manu ‖ [6]) *λικιννίου*

IV a. Patriorum Const. Excerptum I (G. Codinus 'De orig. Const.' p. 16 Bekk.)

ἔκτισε δὲ τὴν Ἁγίαν Σοφίαν ξυλόστεγον. ἀφ' ἧς ἀφῃρέθησαν στῆλαι τετρακόσιαι εἴκοσι ἑπτά,

καὶ πλείονες μὲν Ἑλλήνων ὑπάρχουσαι Διὸς καὶ Κάρου τοῦ πατρὸς Διοκλητιανοῦ[1] *καὶ τὸ δωδεκαζώδιον*[2] *καὶ ἡ Σελήνη καὶ ἡ Ἀφροδίτη καὶ ὁ Ἀρκτοῦρος ἀστὴρ παρὰ δύο Περσικῶν στηλῶν βασταζόμενος ὁ νότιος πόλος καὶ ἡ ἱέρεια τῆς Ἀθηνᾶς ἀπὸ τοῦ πλευροῦ Ἱέρωνα τὸν φιλόσοφον μαντευόμενον ἔχουσα.*

τῶν δὲ Χριστιανῶν ⟨οὐκ⟩[3] *ὀλίγαι τινές, ὡσεὶ π'.*[4]

[1] *τοῦ πρὸ Δ.* hinc coni Meursius, cf. IV b || [2] *δωδεκάζωδον* || [3] supplevi || [4] *ὡς εἶπον*: correxi, cf. ceteros

IV b. Patriorum Const. Excerptum II (G. Codinus 'De signis Const.' p. 64 sq.)

ἐν δὲ τῇ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ τῇ Ἁγίᾳ Σοφίᾳ δρομικῇ τὸ πρῶτον οὔσῃ εἰς εἰδωλεῖον τελούσῃ, τετρακόσιαι εἴκοσι ἑπτὰ στῆλαι ἵσταντο. ἃς ὁ μέγας βασιλεὺς Ἰουστινιανὸς ἐν τῷ μέλλειν κτίσαι τὸν θεῖον ναὸν ἀφείλετο καὶ διεμερίσατο τῇ πόλει. οἱ δὲ πεπειραμένοι τῶν προειρημένων (p. 16) *τὴν πόλιν περιερχόμενοι οὐκ ὀλίγας εὑρήσουσιν. αἱ πλείονες δὲ ὑπῆρχον Ἑλλήνων, ὡς προείρηται* (p. 16), *Ἀπόλλωνος τοῦ τε † Διὸς καὶ Κάρου*[1] *τοῦ πατρικίου Διοκλητιανοῦ καὶ τὸ δωδεκαζώδιον*[2] *καὶ ἡ Σελήνη καὶ ἡ Ἀφροδίτη καὶ ὁ Ἀρκτοῦρος ἀστὴρ παρὰ δύο Περσικῶν στηλῶν βασταζόμενος καὶ ὁ νότιος πόλος καὶ ἡ ἱέρεια τῆς Ἀθηνᾶς ἀπὸ τοῦ πλευροῦ τὸν Ἱέρωνα φιλόσοφον μαντευόμενον ἔχουσα.*

οὐκ ὀλίγαι δὲ Χριστιανῶν. καὶ δέον ἐκ τῶν πολλῶν ὀλίγων ἐπιμνησθῆναι,

Κωνσταντίνου τοῦ μεγάλου καὶ Κώνσταντος

καὶ Γάλλου καὶ Θεοδοσίου καὶ Ἰουλιανοῦ Καίσαρος καὶ ἑτέρου Ἰουλιανοῦ ἐπάρχου Λικινίου Αὐγούστου Οὐαλεντινιανοῦ καὶ Θεοδοσίου καὶ Ἀρκαδίου τοῦ υἱοῦ καὶ Σεραπίωνος ὑπάτου καὶ Ἑλένης τῆς μητρὸς Κωνσταντίνου τρεῖς,

ἡ μὲν μία πορφυρᾶ διὰ μαρμάρων, ἑτέρα δὲ διὰ ψηφίδων ἀργυρῶν ἐν χαλκῷ κίονι, καὶ ἡ ἄλλη ἐλεφαντώδης Κύπρου ῥήτορος προσενέγκαντος.

[1] *Κάρου τοῦ* scripsi, cf. ceteros: *καράτου τοῦ* || [2] *δωδεκάζωδον*

IV c. Patriorum Const. Excerpt. III (G. Codinus 'De S. Sophia' p. 130)

τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, ἤγουν τῆς Ἁγίας Σοφίας, εἰδωλείου τὸ πρὶν οὔσης καὶ πολλῶν ἀγαλμάτων ἐκεῖσε ἱσταμένων, ἀφεῖλεν αὐτά, καθὼς προείρηται[1] (p. 16. 64) *Ἰουστινιανός. καὶ ὁ μὲν μέγας Κωνσταντῖνος πρώην αὐτὴν ἀνήγειρε δρομικὴν κτλ.*

[1] seclusi post *προειρ. ὁ μέγας Κωνσταντῖνος καί*, cf. ceteros

Apollinem (IV b) pro Sole haberi in hac litterarum byzantinarum regione facile perspicitur; *ἠέλιος γὰρ Φοῖβος ἄναξ, καθαρὴν δὲ φέρει τηλέσκοπον αἴγλην* Christodorus de Phoebi statua quadam constantinopolitana in Zeuxippi balneo erecta (Anth. Pal. II 72 sq.). Idem ille quem tractamus antiquarius p. 4 editionis Trevianae *κιθάραν*, inquit, *ἐπὶ χειρῶν πλάττουσι τοῦ Ἀπόλλωνος, οἱονεὶ τὸν ἥλιον τὴν τοῦ παντὸς ἁρμονίαν. κιρνώμενος γὰρ τοῖς λοιποῖς ἀστράσι καὶ τίκτει καὶ ζωογονεῖ.* Solis templi in eiusdem urbis arce a Septimio Severi aedificati testes pluriens ita meminerunt, ut nullo discrimine Soli Apollinem substituerent. Denique Juliani hymnum in Solem cum Apolline commixtum, totius mundi omniumque rerum et creatorem et regem, nunc nominasse sufficiat. Alia exempla postea commemorabimus. Potuisse igitur apud antiquarium illum byzantinum pro Sole Apollinem dici apertum est, dictum esse ex eo concludimus, quod Lunae mentio statim succedit.

De lectionis varietate iudicaturi testimonia proferimus. Statuarum enim enumerationem sic incohavit antiquarius:

I *ἐν τῇ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ τῇ νῦν ὀνομαζομένῃ Ἁγίᾳ Σοφίᾳ στῆλαι ἀφῃρέθησαν υκζ', αἱ πλεῖσται μὲν Ἑλλήνων ὑπάρχουσαι, αἵ τινες ἐκ τῶν πολλῶν ὑπῆρχον, τοῦ τε Ζεῦ καὶ Διὸς καὶ Κάρου κτλ.*

IV b *ἐν δὲ τῇ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ τῇ Ἁγίᾳ Σοφίᾳ . . . τετρακόσιαι εἴκοσι ἑπτὰ στῆλαι ἵσταντο . . . αἱ πλείους μὲν ὑπῆρχον Ἑλλήνων, ὡς προείρηται, Ἀπόλλωνος τοῦ τε Διὸς καὶ Κάρου κτλ.*

Combefisius et Bandurius, in codicum Parisinorum vel uno vel pluribus Excerpti I scriptum esse testati sunt *τοῦ τε Ζεῦ καὶ Διός* et Excerptum IV b in eandem rem converterunt *Ἀπόλλωνος τοῦ τε Διός*. Sanandi periculum fecit Combefisius sed futtile, in quo tamen fuerunt qui confiderent, hac ille confisus argumentatione: 'Cum *Ζευξιδία* Suidae *Ἥρα* sit, ea certe ratione, quod Iove nata est(!), quidni Anonymo (I) *Ζευξίδιος* Apollo dicatur eadem ratione sicque Codinus (IV b) legerit ac *Ἀπόλλων* voce notiore reddiderit'? *Κρόνου* pro *Ζεῦ* violentius quam verius in textu reposuit Bandurius nulla ratione variae lectionis habita ceteris Excerptis oblatae. Ipse in Excerptorum depravatione meo iure Solis exspecto memoriam et olim tale quid exaratum fuisse in archetypo IV b censeo *Ἀπόλλωνος Ἡλίου τε ⟨καὶ⟩ Διός*, in I corruptiore Solis nomine *τοῦ τε Ἡλίου καὶ Διός* [1]). Iam in ea quam professus sum presto sententia Solem huic esse antiquario ab Apolline non diversum.

2. Cari nomen apud Byzantinos pluriens exstat, velut p. 167 et 180 Codini Bekkeriani (p. 18 Treu), ut queat intellegi, cur accuratiore additamento, si Carus iste privatus homo erat, non Caesar, illud explicare voluerit antiquarius. Certe 'vitricus' (*πατρωός*) in II et III non genuinus. Nec licet *πατρός* (IV a) ad Diocletiani parentem transferre, quoniam hic imperator libertino patre natus erat (Aurelius Victor 39). Coniectura tamen facile in hac varietate lectionis abstinebimus:

καὶ Κάρου τοῦ πατρικίου καὶ Διοκλητιανοῦ καὶ (vel omissis *καὶ Δ.*) I
καὶ Κάρου πατρωοῦ Διοκλητιανοῦ καὶ II
καὶ Κάρου τοῦ πατροιοῦ τοῦ Διοκλητιανοῦ καὶ III
καὶ Κάρου τοῦ πατρὸς Διοκλητιανοῦ καὶ IV a
καὶ Κάρου τοῦ πατρικίου Διοκλητιανοῦ καὶ IV b.

Patricius Carus vocatur in Excerptis I et IV b. Fuisse igitur patricius dignitate et honore byzantinus Carus putandus est, non imperator ille, qui ante Diocletianum regnavit Carini pater, Caesaris et ipsius. Dictos esse patricios byzantinos etiam 'patres imperatoris' Ducangius in 'Glossario mediae et infimae latinitatis' s. v. 'pater' et 'patriciatus' exemplis confirmavit: unde apparet, quam late *βασιλεοπατορία* ista patuerit. Patricium igitur Diocletiani vel patrem Carum appellatum esse putabimus. Emendandum est in II et III *πατρίκιος* e *πατρωός* vel *πατρυός*; *καὶ* in I ante *Διοκλητιανοῦ* traditum cancellis inclusi.

[1]) Juliani Caesaris dii in libello de hoc imperatore syriaco enumerantur septem: Zeus Dios Apollo Hera Pallas Aphrodite Athene. Sed fortuita similitudo. Cf. Noeldeke 'Zeitschrift der morgenl. Gesellschaft' XXVIII a. 1874 p. 268. 669.

3. Inter paganos Hero vel Hiero philosophus (dubitata enim scriptura) et Minervae quaedam Sacerdos eo repraesentata vel gestu vel habitu 'quo oraculum petentes utuntur, si testi credimus III, a quo digressi ceteri Heronem vel Hieronem faciunt, non sacerdotem illam, 'oraculum petentem' (*ἡμᾶς δὲ ἔδει μὲν . . εἴσω τῶν οἰκείων ὅρων ἑστάναι καὶ τῆς ὑπὸ σοῦ μουσικῆς ἐμφορουμένους ἠρεμεῖν, ὥσπερ οἱ τὴν Ἀπόλλωνος μαντείαν ἐξ ἀδύτων ἱερῶν προϊοῦσαν ἡσυχῆι δέχονται* Julianus Caesar 'Epist.' 41 scripsit ad Iamblichum philosophum harum rerum peritissimus, nisi Neoplatonicorum vanitatem et superstitionem theurgicam melius reminiscemur). Utrum verius sit, non computatis sed ponderatis testimoniis diiudicabimus. Heronem igitur 'Hieroni' et philosophi sacrum silentium feminae sacerdoti praeferemus. Hanc vero perperam inter personas fabulares Lambecius rettulit (p. 257 Codini Bekkeriani) atque Augam esse Tegeaeam coniectavit, cuius statua in Zeuxippi balneo constantinopolitano conspicua erat, a Christodoro descripta (Anth. Pal. II 139 sqq.).

4. *Τὸ ΔΩΔΕΚΑΖΩΙΔΙΟΝ* (ita enim e *δωδεκάζωδον* ubique corrigendum invitis editoribus) Excerpta I et IV exhibent, *τῶν ιβ' ζωδίων* II, *τῶν δώδεκα ζωδίων* III. Neutrum in antiquario quem restituimus byzantino per se certius mihi videtur, eritque composita vox *δωδεκαζώδιον* ultimae Byzantinorum aetati relinquenda. Mirum enim in modum Byzantini compositiones a *ζώιδιον* derivatas adamabant excepto *ἑπταζωιδίωι* (de quo alibi disseram), adiectivum praesertim *ἐνζώδιος* 'in lapide sculptus'[1]). Semel antea compositionis notio ad signiferi signa translata est in *τριζώιδιον*, quae vox apud Codinum p. 61 [72] Bekk. quadrantis astronomici stationem significat. Testimonium scriptoris infra p. 10 adlaturus sum. Hinc *ἡ τριζωιδία* ab astrologis formatum est 'signorum trias', iam antiquioribus astrologis consuetum[2]). Nihil vero inter *τὸ δωδεκαζώιδιον* et *τὰ δώδεκα ζώιδια* interest discriminis in sententia nobisque commissum est, utrum duodecim signa singillatim fuisse statuis reddita an unum solum monumentum omnibus commune iudicemus. Et hoc posterius mecum qui praeoptaverit, is fortasse, aliter cum vix possit, de disco zodiacali ab Atlante sustentato cogitabit, qualem hodie possidet Villa Albani romana: de quo disco docte disseruit adiecta imagine G. Thiele 'Antike Himmelsbilder' p. 25.

5. Dici videntur in Excerpto III Luna et Venus et Arcturus stella in duabus columnis e Perside asportatis constituti *Σελήνης τε καὶ Ἀφροδίτης καὶ Ἀρκτούρου ὑπὸ δύο στηλῶν βασταζομένων* dissentientibus I et IV, qui *καὶ Σελήνη καὶ ἡ Ἀφροδίτη καὶ ὁ Ἀρκτοῦρος ἀστὴρ παρὰ δύο Περσικῶν στηλῶν βασταζόμενος* vel similiter. Nemo Lunam Venerem Arcturum crediderit in duabus quondam columnis omnes coniunctos fuisse. Itaque videntur I IV etiam in hac re prae Excerpto III bonitate excellere.

Columnae pro basibus cum alibi tum Byzantii usitatissimae erant. Protuli exempla e litteris byzantinis nonnulla in adnotatione 1. Nunc codicem commemoro graecum Marcianum DXL saeculo undecimo e multo vetustiore Evangeliario descriptum. Is codex praeter alia quaedam duodecim Mensium statuas in singulis columnis singulas locatas monstrat, quemadmodum in S. Sophiae statuis rem fuisse opinor (cf. Strygowski 'Repertorium für Kunstwissenschaft' XI p. 32). Binas columnas me semel memini vidisse quattuor statuis suppositas pro basi in monumento commagenico ab Humanno et Puchsteinio reperto ('Reisen in Kleinasien und Nordsyrien' p. 217).

6. Christianis insertae Licinii et Iuliani Caesarum statuae. Et Iuliani quidem Christianorum osoris simulacrum in S. Sophiae ecclesia eo posset adulescentiae tempore positum putari, quo christianam fidem nondum persecutus esset, nisi praeter Iulianum Caesarem Licinius Augustus diceretur christianus,

---

[1]) Codinus p. 44 B *ἐποίει δὲ καὶ τὸν κίονα ἐκεῖνον ἱστορίας ἔχοντα ἐν αὐτῶι ἐνζωδίους*, p. 60 *ἐκεῖσε ἐνζώδιοι ἐστηλώθησαν εἰς τοὺς κίονας ὁ Ἀδὰμ καὶ ἡ Εὔα καὶ ἡ Εὐθηνία καὶ ὁ Λιμός*, p. 69 *συστημάτια δὲ ἵστανται μέσον τοῦ φόρου ἐνζώδια ἐπὶ κιόνων*, p. 87 *τοὺς δὲ κίονας τοὺς δέκα τοὺς ἐνζωδίους γλυπτούς*, alia.

[2]) Compositione *ἡ τριζωιδία* utuntur cum alii tum Hipparchus qui falso fertur in libello ‚De duodecim signis' a me edito in ‚Analectis Eratosthenicis' (Philol. Untersuch. VI p. 144): *ἐν ταύτηι τῆι τριζωδίαι ἀπαρτίζεται [ἡ τοῦ ἀέρος καὶ] τῆς ἐαρινῆς τροπῆς ἡ ὥρα, ἥτις καλεῖται ἔαρ. τριζωδίαν δὲ λέγω Κριὸν Ταῦρον καὶ Διδύμους. ἐν γὰρ τοῖς τρισὶ τούτοις ζωδίοις καὶ ἀρχὴν καὶ μεσότητα καὶ πέρας λαμβάνει ἡ τοῦ ἀέρος κατάστασις.* Idem igitur *ἡ τριζωιδία* est quod anterioribus *τὸ τεταρτημόριον* (cf. Scaligeri notam ad Manilium p. 263).

christianae religionis persecutor acerbissimus. Ergo simul cum Licinio demendus etiam Iulianus Christianorum certe ordini et hominibus est paganis, qui in catalogo Christianos antecedunt, adnumerandus; *κοινωνία γὰρ οὐδεμία φωτὶ πρὸς σκότος, ἀλλ' οὐδὲ μερὶς πιστῶι μετὰ ἀπίστου*: Cyrilli verba sunt contra eundem Iulianum (p. 512 Mignei). Quae cum ita sint, statuarum catalogum, cuius misellas reliquias hodie tenemus, primitus non fuisse ad paganorum et christianorum religiones sed ita ordinatum existimo, ut dii potius ab hominibus secernerentur, homines vero essent inter eos, qui Caesares (Licinius Iulianus) et qui non essent, disiuncti: inter quos Iulianus eparchus Gallus quaestor Sarapio consularis christiani, pagani sacerdos quaedam Minervae Hero philosophus meditans Carus patricius.

7. Quae Excerpto primario iam explanato docemur, fere haec sunt. S. Sophiae ecclesiam primus Constantinus Magnus molitus est. Nihilo tamen setius, etsi causas et rationes celamur, paganicorum idolorum S. Sophia erat vel videbatur certe Christianis posterioribus quoddam contubernium (*εἰδωλεῖον*) idque iam inde a Magno Constantino ecclesiae conditore, donec sexto saeculo ineunte aedificium renovaret vel potius de integro Iustinianus exstrueret et paganorum vestigiis perpurgaret. Qui quadringentas et quod excedit statuas e templo sublatas per urbem dispersit, ut facile harum rerum studiosi qui vellent etiam septimo, quo fere antiquarius ille vixit, saeculo spectare possent dissipatas. Constantinum S. Sophiae sedem in novo, non in paganico quodam templo posuisse satis idem indicavit antiquarius verbis *ἐν δὲ τῆι μεγάληι ἐκκλησίαι, τῆι Ἁγίαι Σοφίαι, δρομικῆι τὸ πρῶτον οὔσηι, εἰς εἰδωλεῖον τελούσηι τετρακόσιαι εἴκοσι ἑπτὰ ἵσταντο κτλ.* (IV b) vel *τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, ἤγουν τῆς Ἁγίας Σοφίας, εἰδωλείου τὸ πρὶν οὔσης καὶ πολλῶν ἀγαλμάτων ἐκεῖσε ἱσταμένων ἀφεῖλεν αὐτά, καθὼς προείρηται, Ἰουστινιανός* (IV c). Apparet enim illud *πρίν* necessario ad tempus pertinere anteiustinianeum, quod inter Iustinianum et Constantinum interfuit, non simul ad id, quod conditam per Constantinum ecclesiam antecessit. In diversam sententiam discesserunt Ducangius in 'Historia Byzantina' (Venetiis 1729) II p. 5 a et Ducangii auctoritatem secuti Bandurius l. c. p. 374 aliique S. Sophiae et historici et interpretes et Excerptum III vel IV vel utrumque in suum usum converterunt. Ille 'Codinus' inquit 'non de novo excitasse Magnam ecclesiam sed aedem paganorum prius existentem idolis et deorum simulacris purgatam ad ecclesiae christianae usum immutasse perperam scripsit, cum disertis verbis eum tradat Cedrenus a fundamentis Sophianam aedificasse aedem illiusque condendae Euphratae cuidam ab eo curam demandatam.' Potuissent ad verum inveniendum eo facilius Ducangii sectatores pervenire, quod unanimam ipse Byzantinorum de Constantino S. Sophiae aedificatore concordiam satis iam demonstraverat [1]). Paganos antiquarius ille quos enumeravit deos in christianam ecclesiam non postmodum inlatos esse, sed inde ab initio illic conlocatos a conditore ipso voluit. Si secus esset, quod Constantino abrogaveris, idem alteri nescio cui imperatori esset imputandum neque ad integritatem Sophianae religionis primariae tantillum proficeretur.

8. Exortus est qui sine ullo consilio diversissimorum deorum simulacra congessisse in ecclesia sua Constantinum putaret vir summus Iacobus Burckhardt 'Zeit Constantins'[2] p. 419. Tamen immerito. Interruptus solius Cari mentione 'deorum' index, Apollinis (Solis) Iovis Duodecim signorum Lunae Veneris Arcturi stellae Poli australis. Dictum est de Apolline Sole p. 6. Luna et Venus iis abbreviandi maginibus in textu III significantur, quae non modo in litteris sed etiam in inscriptionibus his numinibus,

---

[1]) Bandurius ita: 'Falsum id quod Codinus narrat in ecclesia S. Sophiae, quae prius forma oblonga erat et idolorum cultui serviebat, stetisse 427, quas magnus imperator Justinianus templum illud divino cultui aedificaturus inde abstulit et per urbem distribuit: quippe Constantinum templum S. Sophiae a fundamentis excitasse ac Divinae Sapientiae dicasse testis est anonymus noster in 'Descriptione S. Sophiae' (IV c), qui multas insuper in ea statuas a Constantino erectas perhibet; testes item Theophanes Cedrenus Glycas Paulus Diaconus libro II Nicephorus Callisti et quotquot fere Constantini res persecuti sunt scriptores huius templi primum conditorem Constantinum agnoscunt. Quod deinde templum cum in seditione Victoriatorum cum aliis quam plurimis aedificiis incendio consumptum esset, Iustinianus novum et longe amplius aedificavit'.

plerumque si pro stellis sunt erraticis, attribuuntur. Planeta vel hinc Venus in indice non improbabiliter agnoscenda erit. Certiora alia ratiocinatione nanciscemur.

Polum Australem iure in S. Sophia quidem miraris, sed dici nequit, quam falsae de illo conceptae ab interpretibus sint opiniones. Unam in apparatu editiunculae p. 4 suffixo attuli. Hoc non dubitabile, veram esse scripturam traditam. Alterum accedit non minus concessum, quod apud Codinum ex eodem antiquario p. 48 sq. Bekk. communicatur, postmodum in Strategio Polum istum australem locatum fuisse. En testimonium gravissimum:

> *ἵστατο δὲ εἰς τὸ αὐτὸ Στρατήγιον καὶ ὁ τρίπους ἔχων τὰ παρῳχηκότα τὰ ἐνεστῶτα καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι καὶ ὁ νότιος πόλος καὶ ἡ λεκάνη τοῦ Τρικακκάβου ... πλησίον δὲ ἐκεῖσε καὶ ἡ Τύχη τῆς πόλεως*[1]. *ὁ δὲ Βάρδας ὁ Καῖσαρ, ὁ θεῖος Μιχαὴλ τοῦ βασιλέως, μετέθηκε καὶ παρέλυσεν αὐτὰ καὶ συνέτριψεν.*

His conspirat quod sub finem Excerptorum adfirmatur (I):

> *οἱ δὲ πεπειραμένοι τῶν προειρημένων περιερχόμενοι τὴν πόλιν καὶ ζητοῦντες εὑρίσκουσιν οὐκ ὀλίγας.*

Hactenus, ut dixi, certissima omnia, cetera in opinatione sita manebunt. Nusquam enim in antiquorum monumentis Polus australis occurrit forma expressus; effigies qualis fuerit in S. Sophia posita, e coniectura tantummodo percipitur. Fingi vero possunt varia. Fingo mihi tabulam rotundam, in qua Polus australis, cum sideribus nequiret, regione caeli australiore repraesentatus esset addita inscriptione. Quod genus in Farnesinae Villae picturis siderum Peruzzianis saepius Romae nuper observavi. Alios audio Atlantem australis non Poli sed hemisphaerii portatorem suspicari violentius sane quam verius. Ubi vero australis caeli cardo, ibi septentrionalis exspectabitur, sive eadem exsculptus ratione sive cogitatione supplendus. At quid Poli in ecclesia? Nissenii studiis patefactum est, quam fuerint antiquae gentes et edocti ab illis christiani homines in metandis ad caeli regiones templis et ecclesiis diligentes et religiosi (Mus. rhen. XL p. 39 sqq. 329 sqq. et XLII p. 28 sqq.). Quodsi recte divinavi magis quam exposui, effici videtur condendae S. Sophiae tempus et sacrum officium Poli australis (et borealis) spectasse memoriam statua (vel statuarum pari) nobilitatam. Nolumus oblivisci praecepisse etiam aevo medio ecclesiam catholicam de ecclesiarum spatiis subtiliter et disponendis et metandis quae conferri quodammodo possunt: inspicias Iohannis Beleth 'Divini officii explicationem' cap. 2, cuius libri notitiam a Nissenio accepi (Mus. rhen. XLII p. 31).

Melius ex eiusmodi inaugurandi ritu talibusque caerimoniis Arcturum Stellam fortasse intellegemus. Exoriens vespere Arcturus veris initium, mane si exoritur, imminet auctumnus. Cum templorum spatia harpedonaptae metarentur, sedulo orientia caeli lumina observabant et praecipue lucidiora, inter quae Arcturum et ipsum fuisse Nissenius exemplo ab Aegyptiis desumpto comprobare studuit. Alexandriae urbis tutelaris habetur stella Canobus. De toto hoc genere doctissime idem disputavit quem identidem antestatus sum Nissenius.

Relicti sunt praeter Duodecim zodiaci Signa Sol (Apollo) et Luna Iuppiter et Venus. Tandem eluxit etiam Iovem et Venerem esse in hoc deorum sodalicio non Olympios deos, sed planetas. Et sunt non modo Sol et Luna, sed Iuppiter et Venus mitiores inter planetas, praesertim Saturno et Marte deficientibus, et felicia tempora portendere ex vulgari astrologorum doctrina putabantur. Quid igitur? Tota eo deducta argumentatio est, ut Solem cum Iove, Lunam cum Venere ad Duodecim signa in Excerptis referamus ni fallimur necessario. S. Sophiae signa quasi tutelaria vel, ut simplicius proloquamur, horoscopus relatis ad zodiacum quattuor planetis significatus et in ecclesia Constantiniana statuis deorum istorum stellarium expressus olim fuerat ipso auctore Constantino.

Erat Constantinianae aetati proprium scituque paene omnium dignissimum existimabatur non modo hominum et rerum sed vel urbium condendarum et templorum quaerere horoscopum. Neque latebat in tenebris superstitio astrologica, sed templorum et paganorum et christianorum tunc temporis

---

[1]) Strygowski in 'Analectis Graeciensibus' p. 143 sqq.

sanctitatem infecerat. Utar exemplo. De S. Mocii domo byzantina, quae Herculis vel Iovis antea fuerat fanum [1], antiquarius Codini p. 61 ita narravit: *ἐν δὲ τῶι ναῶι τοῦ ἁγίου Μωκίου ἐν τοῖς Κούφοις ἦν τὸ λεγόμενον Τριζώδιον κάτωθεν. ἐν ὧι καὶ ἀστρονόμουν ποτὲ οἱ Ἕλληνες, εἰδωλείου [καὶ] τοῦ ναοῦ ὄντος. ἀλλ' ἐπάρθη καὶ ἠφανίσθη ἱερωθέντος τοῦ ναοῦ κτλ.* Idem antiquarius byzantinus de urbis Constantinopolis sideribus nataliciis (Codinus p. 17):

> *χρὴ δὲ εἰδέναι, ὅτι τῶι πεντακισχιλιοστῶι ὀκτακοσιοστῶι τριακοστῶι ἑβδόμωι ἔτει τοῦ κόσμου, τῶι τρίτωι μηνὶ τῆς δευτέρας ἐπινεμήσεως, τῆι εἰκοστῆι ἕκτηι τοῦ Σεπτεμβρίου μηνός, ἐν ἡμέραι τετάρτηι ὄντος τοῦ Ἡλίου εἰς τὸ τοῦ Τοξότου ζώδιον (ὡροσκόπει γὰρ Καρκίνος), τῶι πρώτωι ἔτει τῆς διακοσιοστῆς ἑξηκοστῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος ἐπήξατο τοὺς θεμελίους τῶν δυτικῶν τειχῶν τῆς Κωνσταντινοπόλεως.*

Consimilia de urbis Romae natalibus iam Varronis aetate ferebantur, recocta postmodum et a Byzantinis studiose exculta vel repetita: qua de re ad virum eruditum francogallum Bouché-Leclerq 'L'astrologie grecque' p. 368 sqq. satis est relegare. Notum est Humannum et Puchsteinium in Commagenae montibus Antiochi monumentum sepulcrale explorasse. in quo regis dii tutelares iidemque stellares non modo in uno eodemque Leonis anaglypho zodiacali consociati, sed peculiaribus insuper statuis honorati conspiciuntur. Erant e stellaribus diis (inscripta enim Leonis signi anaglypho nomina planetarum) Mars Mercurius Iuppiter, praeterea Sol. Regium horoscopum felici acumine cognovit Puchsteinius (p. 329 sqq.).

Sic concludimus: Constantinum metatum videri futurae ecclesiae spatia et terminos observato Arcturi ortu et per astrologos comperisse planetas, sive omnes sive quattuor, Solem et Iovem Lunam et Venerem, illo ipso temporis momento felicitatem portendere per signa signiferi nescimus quae transeuntes. Rei memoriam marmoribus insculpendam curavit Constantinus et in absoluta ecclesia postmodum constituit non dissimilis Antiocho, qui in montis culmine sub divo deorum suorum contubernium simul cum sideribus horoscopantibus repraesentavit, neque illi imperatori romano, qui fingitur in anaglypho apud Arabes in provincia reperto Gigantem sagittis perfodiens anguipedem lapidibus armatum comitibus Sole et alio quodam planeta tutelari. Sic enim etsi editore francogallo Clermont-Ganneau in 'Studiis archaeologiae orientalis' (Bibliothèque de l'école des hautes études XLIV p. 179 sqq.) graviter dissentiente monumentum esse interpretandum diu est ex quo mihi persuasi.

II

Quam alte in vitam et cultum et mores Caesarum byzantinorum se religio stellaris insinuaverit, alio nunc ac novo et utili exemplo ostendam. Veste triumphali inde a Constantino utebantur Caesares siderum figuris vel simplicius stellis distincta. Cuius pallii exemplum omnium recentissimum ad Henricum II imperatorem germanicum traditum nunc Bambergense in 'Ephemeride artis christianae' a. 1899 p. 321 sqq. 361 sqq. interpretatus sum adhibita etiam antiquiorum monumentorum similitudine. Nunc e quarti saeculi memoria byzantina imaginem commemoro Constantii Galli Caesaris in Chronico quod dicitur anni 354 olim depictam, cuius picturae delineationem Peirescianam quamvis depravatam codex Barberinius XXXI 39 continet. Neque enim sidera dispexit in pallio expressa Strygowskii diligentia 'Die Kalenderbilder des Chronographen vom Jahre 354' ('Jahrbuch des Instituts', Ergänzungsheft I, p. 90–95 tab. XXXV). Ego Martem dispexi armatum clipeo et hasta et Virginem alatam et in dextro bracchio Capricornum et Pisces in parte infima. De ceteris paludamenti sideribus exspectandum est,

---

[1]) J. P. Richter 'Quellen zur byzantinischen Kunstgeschichte' p. 120.

donec nova et fortasse melior imago adferatur. Qui vero veste hac non triumphali sed divina ornatur Constantius Solem imitatus est invictum, siquidem dextra Victoriam gestat coronam tenentem, sinistra tropaeum in scipionis formam ea comminutum ratione, quam praeclare nuper in alio monumentorum genere docuit Michaelis ('Jahrbuch der Gesellschaft für lothringische Geschichte und Altertumskunde' 1895, S. 128 ff.) in clipeum galeamque exiens superius. Denique Constantii caput solari orbe cinctum est, ut de huiusmodi exornationis significatione dubitari non possit. Missam de caelo Jovis vel Solis potius beneficio vestem purpuream imperatoriam Iulianus Caesar sollemniter pronuntiavit[1]. Ac meminit purpurei Solis pallii poetice Ovidius[2], sed ut in universum poetae descriptio cum monumento isto multo posteriore Constantiniano congruat.

Solem inde ab Antoninorum tempore iuxta Iovem optimum maximum non secundo sed pari vel priore loco et Caesares et milites per totum orbem terrarum venerari tanto opere consueverant, ut nulla Christianis magis adversa et infesta esset religio. Jovis antea, postmodum Solis divini vicarii imperatores esse et videri cupiebant gentibus subactis. Hinc nummi circumdatos et planetis et duodecim signis et quattuor 'felicibus temporibus' commonstrant, ne Constantino quidem Magno excepto. Qui se in inscriptione pisidica praedicari Solis cognomine 'Invictum' passus est[3] et Solis instar sese statuis effinxit[4]. Vel Christum Constantini pietas assimilavit Soli[5]. Quid? quod ne Justinianus quidem, alter S. Sophiae conditor, prorsus solari religione vacabat[6].

---

[1]) Sozomenus 'Hist. eccl.' V 17 (p. 1265 Migne) *ἐν δὲ ταῖς δημοσίαις εἰκόσιν ἐπιμελὲς ἐποιεῖτο παραγράφειν αὐτῶι Δία μέν, οἷά γε ἐκ τοῦ οὐρανοῦ προφαινόμενον καὶ στέφανον καὶ ἁλουργίδα τὰ σύμβολα τῆς βασιλείας παρέχοντα, Ἄρεα δὲ καὶ τὸν Ἑρμῆν εἰς αὐτὸν βλέποντας καὶ καθάπερ τῶι ὀφθαλμῶι ἐπιμαρτυροῦντας, ὡς ἀγαθὸς εἴη περὶ λόγους καὶ πολεμικός. ἐκέλευσε δὲ ταῦτα, καὶ ὅσα ἅμα πρὸς Ἑλληνικὸν ὁρᾶι σέβας, παραμίγνυσθαι ταῖς εἰκόσιν, ὥστε προφάσει τῆς εἰς βασιλέα νενομισμένης τιμῆς λεληθότως προσκυνεῖν τοὺς συγγεγραμμένους* (simul pictos). Mars et Mercurius inter propria Juliani numina sunt; Jovem mundi rectorem cum Sole idem contaminavit, ex. gr. in oratione IV p. 194, 6.

[2]) Metam. II 23 sqq.:

Purpurea velatus veste sedebat
in solio Phoebus claris lucente smaragdis.
A dextra laevaque Dies et Mensis et Annus
Saeculaque et positae spatiis aequalibus Horae,
Verque novum stabat cinctum florente corona,
stabat nuda Aestas et spicea serta gerebat,
stabat et Autumnus calcatis sordibus uvis
et glacialis Hiems canos birsuta capillos.

[3]) Lanckoronski 'Städte Pamphyliens und Pisidiens' II 1892 p. 229 (no 213) *Αὐτοκράτορα Σεβαστὸν Νεικητὴν Κωνσταντεῖνον μέγιστον Αὔγουστον κτλ.*

[4]) Codinus p. 15.

[5]) J. Burckhardt 'Zeit Constantins'[2] p. 349 sq.

[6]) Codinus p. 28 *ἔστησε τὴν ἑαυτοῦ στήλην ἔφιππον ἐπὶ κίονος. καὶ τῆι μὲν ἀριστερᾶι χειρὶ φέρει σφαῖραν ἐμπεπηγότος σταυροῦ ἐν αὐτῆι . . . τὴν δεξιὰν χεῖρα ἀνατεταμένην ἔχει κατὰ ἀνατολάς*: de quo gestu optime exposuit G. Thiele p. 136.

III

Tandem venio ad Julianum. Is in regia Solis 'totius mundi regis' (ita dictitabat) templum et aras 'omnium deorum' sibi suum in usum constituerat. Inter deos numerari ille etiam stellas voluit [1], ut veri non dissimile videatur intra Pantheum suum vel Pandaemonium Julianum sidera quoque sive omnia seu potiora esse veneratum. Assidua consuetudine sese in intimam caeli stellati notitiam Julianus insinuaverat, et diu quidem, quemadmodum ipse pronuntiavit, nullo docente, postea ab astronomis (nescitur tamen a quibus) adiutus [2].

Juliano cuidam commentarium in Arati Phaenomena scripsit Theo astronomus alexandrinus idemque philosophus, Hypatiae parens ac praeceptor. Qui cum anno 365 solis et lunae defectus Alexandriae observasse traditus sit, florens tum et aetate et doctrina et Juliani Caesaris, qui triginta unum annos natus anno 363 diem obiit supremum, coaevus [3]) fuisse iure censebitur. Quaerendum est, num is Iulianus, cui commentarium Arateum Theo dedicavit, Caesar fuerit ipse an alius quis. Innotuit enim id temporis Iulianus alter sophistae et rhetoris laude non ignobilis, cuius vitam descripsit Eunapius. Epistulam Theonis ad Iulianum dedicatoriam edidi in 'Commentariorum in Aratum reliquiis' p. 554 sq. nec repeto integram. Initium vero apponendum est:

> *ταῦτά σοι, ὦ Ἰουλιανέ, συναγαγόντες ταχεῖαν πεποιήμεθα τὴν ἐπαγγελίαν. ἄλλοις δὲ μελέτω γραφὰς ἀλλοίας ποιεῖν, εἰ μέν τοι ὁ Ἄρατος ἐμνήσθη Περσέως, πάντα τὰ περὶ Περσέως διερευνᾶν, εἰ δὲ περὶ Βοώτου τὰ περὶ ἐκείνου . . . εἴρηται δὲ πάντα τὰ ἀναγκαῖα καὶ συντελοῦντα πρὸς τὸ σαφὲς ἀπεριέργως καὶ ὡς ἀνδρὶ διὰ τῶν μαθημάτων φιλοσοφοῦντι ἐξηγήσασθαι πρέπον ἦν τὰ ποιήματα . . . τί γὰρ ἤπειγεν ἄκαιρον ἐνδείκνυσθαι πολυμάθειαν κτλ.*

P. LI—LXIV 'Prolegomenorum' composui quae mihi viderentur e scholiis in Aratum graecis ad eundem Theonis commentarium pertinere. Omnia virum confirmant disciplinarum liberalium, mathematicarum praesertim, adiutorio (*διὰ τῶν μαθημάτων*) philosophantem. Itidem Socrates ecclesiasticus (VII 15 p. 768) Theonem non astronomum tantummodo, sed etiam philosophum appellavit. Damascius, cum de Theone et Hypatia exponeret, philosophiam eam, quae quadrivii disciplinis comprehenditur mathematicis, ab altera eaque altiore distinxit philosophia, quae de mundo est et deo et homine: illi studuisse Theonem, Hypatiam vero filiam Theonis, de qua posterius dicendum erit, utrique. Nolumus ipsum se dixisse Theonem virum mathematicis disciplinis philosophantem oblivisci (*διὰ τῶν μαθημάτων φιλοσοφοῦντα*). Consentaneum est eadem philosophandi supellectile Theonem erudivisse discipulos et etiam Julianum, quisquis ille fuit, vel voluisse erudire.

Deinceps indagabimus, quid Iulianus Caesar in excolendis litteris et in philosophia potissimum spectasse videatur. Amore artium liberalium erat incensus. Narrat Ammianus XV 2, 7 opprobrio illi a Constantio imperatore versum esse, quod anno 354 e Macelli fundi solitudine in Cappadocia, ubi exulabat, positi 'in Asiam demigrarat artium desiderio liberalium.' Quibus artibus studuit Nicomediae et Ephesi et postea Athenis. Idem Ammianus XVI 5, 6 'incredibile' inquit 'quo quantoque ardore principalium rerum notitiam celsam indagans et quasi pabula quaedam animo ad sublimiora scandendi conquirens per omnia philosophiae membra prudenter disputando currebat. Sed tamen cum haec effecte pleneque colligeret, nec humiliora despexit, poeticam et rhetoricam — ut ostendit orationum epistularum-

---

[1]) Or. IV p. 181 H. *εἷς μὲν ὁ τῶν ὅλων δημιουργός* (Sol), *πολλοὶ δὲ οἱ κατ᾽ οὐρανὸν περιπολοῦντες δημιουργικοὶ θεοί* (stellae et sidera). Ita saepius. P. 185 *ἄκουε δὴ πρῶτον, ὅσα φασὶν οἱ τὸν οὐρανὸν οὐχ ὥσπερ ἵπποι καὶ βόες ὁρᾶντες ἤ τι τῶν ἀλόγων καὶ ἀμαθῶν ζώων ἀλλ᾽ ἐξ αὐτοῦ τὴν ἀφανῆ πολυπραγμονοῦντες φύσιν.* Cf. adn. 2.

[2]) P. 169 *τὸ δὲ ὅτι με τὸ οὐράνιον πάντῃ περιήστραπτε φῶς ἤγειρέ τε καὶ παρώξυνεν ἐπὶ τὴν θέαν, ὥστε ἤδη καὶ τῆς σελήνης τὴν ἐναντίαν πρὸς τὸ πᾶν αὐτὸς ἀπ᾽ ἐμαυτοῦ κίνησιν ξυνεῖδον, οὐδενί πω ξυντυχὼν τῶν τὰ τοιαῦτα φιλοσοφούντων, ἔστω μοι τὰ ῥηθέντα σημεῖα.*

[3]) Recte de tempore Fabricius 'Bibl. graeca' IX p. 179 Harl. Cf. Usenerum in Mommseni 'Chron. min.' III p. 358 sqq.

que eius cum gravitate comitas incorrupta — et nostrarum externarumque rerum historiam multiformem'. Testes Libanius in 'Oratione funebri' et Himerius, denique patres ecclesiastici [1], e quibus Gregorius Nazianzenus Oratione III p. 61 studiis philosophicis Iuliani conversam esse de diis opinionem suspicatur. Iulianus singulari se admiratione et caritate praecipue philosophos esse prosecutum et in 'Epistulis' satis ipse velut ad Iamblichum philosophum (32. 40) testatur et in peculiari libro contra Christianos emisso, unde gravissimum locum propono (p. 772 M. p. 193 Neum.):

> *ἀλλὰ ἀρχὴν ἔδωκεν ἡμῖν* (deus) *ἐπιστήμης ἢ μάθημα φιλόσοφον; καὶ ποῖον; ἡ μὲν γὰρ περὶ τὰ φαινόμενα θεωρία παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἐτελειώθη τῶν πρώτων τηρήσεων παρὰ τοῖς βαρβάροις ἐν Βαβυλῶνι γενομένων. ἡ δὲ περὶ τὴν γεωμετρίαν ἀπὸ τῆς γεωδαισίας τῆς ἐν Αἰγύπτωι τὴν ἀρχὴν λαβοῦσα πρὸς τοσοῦτον μέγεθος ηὐξήθη. τὸ δὲ περὶ τοὺς ἀριθμοὺς ἀπὸ τῶν Φοινίκων ἐμπόρων ἀρξάμενον τέως εἰς ἐπιστήμης παρὰ τοῖς Ἕλλησι κατέστη πρόσχημα. τὰ δὲ τρία μετὰ τῆς συναρίθμου μουσικῆς Ἕλληνες εἰς ἓν συνῆψαν, ἀστρονομίαν γεωμετρίαι προσυφήναντες, ἀμφοῖν δὲ προσαρμόσαντες τοὺς ἀριθμοὺς καὶ τὸ ἐν τούτοις ἐναρμόνιον κατανοήσαντες. ἐντεῦθεν ἔθεντο τῆι παρὰ σφίσι μουσικῆι τοὺς ὅρους, εὑρόντες τῶν ἁρμονικῶν λόγων πρὸς τὴν αἴσθησιν τῆς ἀκοῆς ἄπταιστον ὁμολογίαν ἢ ὅτι μάλιστα τούτου ἐγγύς.*

Latuit editores enumerari consuetas quattuor quadrivii disciplinas, nec concessum est verba *τὰ δὲ τρία μετὰ τῆς συναρίθμου μουσικῆς* coniectura superflua *εὐρύθμου* sollicitare, cum unice verum esse *συναρίθμου* facile apertum sit. Haec enim voluit Iulianus: 'Tria illa' astronomiam nimirum et geometriam et arithmeticam 'cum musica illis tribus nesessario adnumeranda Graeci in unum disciplinarum corpus connexuerunt'. Dicimus igitur ut Theonem ita Iulianum Caesarem cum ceteras scientias tum philosophiam et singillatim astronomiam ceterasque quadrivii partes amplexum esse cupidissime. Accedit alterum. Iulianum studia liberalia ad veterum deorum cultum revocaverant. Ac videtur etiam Theo in firmanda graeca religiositate e litteris suis praesidium et adiumentum capessivisse, si ex Hypatia filia et philosopha et astronoma ferre de patre eodemque magistro iudicium licuerit. Christianis de Hypatia, si collaudant, fidendum est. Fidemus igitur Socrati (VII 15 p. 768 M.) *ἐπὶ τοσοῦτον δὲ προὔβη παιδείας, ὡς ὑπερακοντίσαι τοὺς κατ' αὐτὴν φιλοσόφους .. καὶ πάντα τὰ φιλόσοφα μαθήματα τοῖς βουλομένοις ἐκτίθεσθαι.* Hypatia igitur philosopha noviciae Christianorum doctrinae sese tam vehementer opposuit, ut ab exacerbata multitudine alexandrina instigante (quod satis munitum est testimoniis vel Christianorum) Cyrillo episcopo crudelissime interficeretur, aetate non adulescens, ut placuit Kingsleio, sed iam provecta [3]). Item Iulianus iteratis curis etiam litterariis, velut 'Epist.' 51 (II p. 556 H.) et peculiari opere Adversus Christianos', a 'Galilaeorum' sacris revocare mundum frustra miro tamen studio conatus est.

Hinc est, cur Iulianum illum Arateum, Theonis sive discipulum sive amicum sive utrumque, ipsum Caesarem censeamus. Scriptus Theonis commentarius Arateus est ante mortis Iuliani annum 363 [4]).

---

[1]) In vita Isidori apud Suidam s. v. *Ὑπατία*: *Ὑπατία ἡ Θέωνος τοῦ γεωμέτρου θυγάτηρ τοῦ Ἀλεξανδρέως φιλοσόφου, καὶ αὐτὴ φιλόσοφος . . . αὕτη ἐν Ἀλεξανδρείαι καὶ ἐγεννήθη καὶ ἀνετράφη καὶ ἐπαιδεύθη. τὴν δὲ φύσιν γενναιοτέρα τοῦ πατρὸς οὖσα οὐκ ἠρκέσθη τοῖς διὰ τῶν μαθημάτων παιδεύμασιν ὑπὸ τῶι πατρί, ἀλλὰ καὶ φιλοσοφίας ἥψατο τῆς ἄλλης οὐκ ἀγεννῶς κτλ.*

[2]) Socrates 'Hist. eccl.' III 1 p. 380 Migne *ἐτίμα δὲ καὶ τοὺς περὶ παιδείαν ἐσπουδακότας, μάλιστα δὲ τοὺς ἐπαγγελλομένους φιλοσοφεῖν. διὸ καὶ τοὺς πανταχῆ ἦγεν ἡ φήμη βρυάζοντας ἐπὶ τὰ βασίλεια.*

[3]) Malalas p. 359 Dind. *κατ' ἐκεῖνον δὲ τὸν καιρὸν παρρησίαν λαβόντες ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου οἱ Ἀλεξανδρεῖς ἔκαυσαν φρυγάνοις αὐθεντήσαντες Ὑπατίαν τὴν περιβόητον φιλόσοφον, περὶ ἧς μεγάλα ἐφέρετο. ἦν δὲ παλαιὰ γυνή.* Hinc temporum ratio facile constat: recte enim Malalae credidit Wernsdorfius. Aliter Hoche 'Philologus' XV p. 439 sqq.

[4]) Synesius Cyrenensium episcopus circa annum 397 adolescens apud Hypatiam Alexandriae morabatur simul cum Theotecno quodam, quem appellare solet *τὸν ἱερώτατον πατέρα*. Coniecit non recte Jacobsius (Ersch-Gruber s. v. 'Hypatia' p. 444 [1], cf. Hoche l. c. p. 447) Theonem et Theotecnum eundem hominem esse.

IV

Hactenus deducta iam pridem erat mea disputatio, cum in fabulosam de Iuliano narrationem inciderem christianam a Theodoro Noeldekio e syriaco sermone in nostram linguam conversam et decurtatam, sed origine graecam ('Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft' XXVIII a. 1874 p. 660–674). Fabulosa ut dixi tota scriptoris ratio, qui Noeldekio septimo saeculo videtur vixisse, contra Iuliani atque asseclarum et res et personas est, sed tota nequaquam ficticia neque omni fide destituta. Exempla proferam nonnulla, priusquam ad ea redeam quae mea causa persecuturum sum.

1. Poscitur in fabula hac romanensi Iulianus iam Caesar factus sed nondum imperator Constantii iussu, 'ut ad eam iuret statuam, quae horologii urbani sit custos', se Eleutheram quandam Licinii Caesaris filiam re familiari non privasse (p. 661 sqq. 673). Periurus erat, si iurare ausus esset, Iulianus. Ac primum quidem recusabat, etsi Christianorum et crucem et sacratissimam hostiam sine mora facile peieraverat, postea vero re secum iterum atque saepius perpensa, ne in suspicionem propter recusationem vocaretur, periurium commisit; quo commisso inferorum daemonibus fieri non potuit quin in aeternum destinaretur. Interrogavit Noeldekius, in utram urbium, Romam an Constantinopolin, narrata haec transferri viderentur, et de Roma cogitare maluit, quia Constantinopolis iam tempore Iulianeo magis quam Roma facta sibi videretur christiana (p. 673). Haec opinatio incertissima vel ex iis arguitur, quae antea exposui. Iam vero deus iste vel 'daemon qui horologium urbis tuebatur' in ipsa urbe Constantinopoli ex antiquario eodem, quem initio huius commentationis tractare coepi, simul cum isto horologio in urbe illa monstrari potest e Codino ('De signis' p. 45 Bekk.):

> *ὅτι τὸ λεγόμενον Μόδιον ὡρολόγιον ἦν ἤγουν τὸ ἔξαμον τοῦ μοδίου. ἵστατο δὲ ἐπάνω τῆς ἀψῖδος τοῦ Ἀμαστριανοῦ μέσον τῶν δύο χειρῶν κατασκευασθὲν ὑπὸ τοῦ Οὐαλεντινιανοῦ διὰ τὸ καὶ τὴν Λαμίαν εἶναι ἐγγὺς αὐτῶν ... Ὅτι ἐν τῶι τόπωι τοῦ Ἀμαστριανοῦ Ἥλιος ἵστατο ἐν αὐτῶι ἐν ἅρματι μαρμαρίνωι στηλωθεὶς καὶ Ἡρακλῆς ἀνακείμενος ,.. καὶ δράκαιναι δεκαοκτώ. καὶ μαρμάρινος στήλη ἱσταμένη ἐκ χώρας Παφλαγονίας δεσπότου, καὶ ἑτέρα κεχωσμένη ἐν τῆι κόπρωι καὶ τοῖς οὔροις, δοῦλος τοῦ ἐκ χώρας Ἀμάστρων Παφλαγόνος. ἐκεῖσε δὲ ἐν αὐτῶι τῶι τόπωι ἐτύθησαν τοῖς δαίμοσιν ἀμφότεροι καὶ ἀνεστηλώθησαν ... ἐγένοντο δὲ ἐκεῖσε δαιμόνων ἐπιστασίαι πολλαί*[1]).

In Excerptis a Bekkero post Codinum publicatis p. 172 eadem in universum referuntur, additis vero nonnullis ad superstitionem hominum cum Amastriano isto coniunctam: philosophum quendam Acontium ibi locatum esse, idolorum antistitem, uxoris liberorum matris sororis interfectorem. Locus omni superstitionis genere et etiam scelere inquinatus medio aevo putabatur et ob Solis simulacrum ad horologium adstantis religioni paganicae restituendus est. Quibus cognitis simul id quoque intellegitur, cur Solem peierare Iulianus primo recusaverit: Solem deum venerabatur omnium vehementissime.

Quam Syrus fabulam rettulit Iulianeam, eam e fonte byzantino, etsi nescitur quibus intermediis, in Germanorum litteras ante saeculum duodecimum translatam esse ab Eduardo Schroeder cognitum est. Ita poeta chronographus a Schroedero editus in 'Monumentis Germaniae historicis' I 1 (a. 1895) p. 276–285: Viduam quandam piam a qua educatus Iulianus erat papae capellanus re familiari

---

[1]) Codex Parisinus supplementi graeci 607 A p. 15 ed. Treu *Περὶ τοῦ Ἀμαστριανοῦ. Ζεὺς Ἥλιος ἐν ἅρματι μαρμαρίνωι καὶ Ἡρακλῆς ἀνακείμενος . . . καὶ δράκαιναι δεκαοκτώ. ἐγίνοντο δὲ ἐκεῖσε δαιμόνων ἐπιστασίαι.* Eadem ecloga apud Bandurium p. 19; cf. p. 75 et commentarii p. 457 (Combefis p. 6).

postquam spoliavit, sibi illam bona sua tradidisse proterve infitiatus est. Reperta vero in Tiberi Mercurii statua, cum hic daemon se opitulaturum esse promisisset, mulier, ut iuraret Mercurium in simulacri os manu immissa, Iulianum intercedente papa coegit. Cetera non persequor. Etenim vel nunc patefactum est mulierem illam esse quam Syrus Licinii filiam dixit Eleutheram, Mercurium ei respondere daemoni, qui horologium constantinopolitanum apud Syrum tuebatur, papam denique imperatori Constantio, qui apud Syrum est, successisse. Similia in litteris Francogallorum mediaevalibus reperiri didici e M. Kochii commentatiuncula de fabulis Iulianeis recentioribus ('Beilage zur Allgemeinen Zeitung' 1893 no. 236).

2. Aesculapii daemonis filius a Syro Iulianus appellatur. Commentus hoc est fabulator Syri graecus ex Iuliani contra Christianos scriptis Cyrilli episcopi invito beneficio per orbem christianum mox propagatis. Adscribam locum multis nominibus celebrem (p. 197 sq. Neum.):

ἔλαθέ με μικροῦ τὸ μέγιστον τῶν Ἡλίου καὶ Διὸς δώρων. εἰκότως δὲ αὐτὸ ἐφύλαξα ἐν τῶι τέλει. καὶ γὰρ οὐκ ἴδιόν ἐστιν ἡμῶν μόνον, ἀλλ' (οἶμαι) κοινὸν πρὸς Ἕλληνας, τοὺς ἡμετέρους συγγενεῖς. ὁ γάρ τοι Ζεὺς ἐν μὲν τοῖς νοητοῖς ἐξ ἑαυτοῦ τὸν Ἀσκληπιὸν ἐγέννησεν, εἰς δὲ τὴν γῆν διὰ τῆς Ἡλίου γονίμου ζωῆς ἐξέφηνεν. οὗτος ἐπὶ γῆς ἐξ οὐρανοῦ ποιησάμενος τὴν πρόοδον ἑνοειδῶς μὲν ἐν ἀνθρώπου μορφῆι περὶ Ἐπίδαυρον ἀνεφάνη, πληθυνόμενος δὲ ἐντεῦθεν ταῖς προόδοις ἐπὶ πᾶσαν ὤρεξε τὴν γῆν τὴν σωτηρίαν ἑαυτοῦ δεξιάν κτλ.

Omnino in fabula syriaca Juliani dii etiam praeter Aesculapium et Solem potiores occurrunt velut Jupiter Mercurius Sarapis.

3. Philosophiae cum alibi tum Athenis vacasse Julianum fabula asseverat syriaca non immerito. Institutus vero est a Magno pagano et philosopho et praestigiatore et malefactorum superstitionumque socio atque adeo magistro. Quae accuratius pertractare post Noeldekii operam egregiam inutile, qui sub Magno illo occultari Maximum philosophum Ephesium ab Juliano discipulo mirifice dilectum eo est verius quamvis dubitanter suspicatus, quod a Socrate (p. 372 M.) idem ille Maximus imperante Valentiniano magicae artis accusatus et occisus esse dicitur.

4. Alter est Iuliani et magister et amicus apud Syrum Sosipater. Et innotuit praeter Sopatrum Sosipater imperatoris familiaris ex 'Epist.' 67 (II p. 590 Hertl.).

Licet igitur in universum in rerum a Syro narratarum fundamentis confidere. Iam vero Theo philosophus idemque christianus a Syro proditur sapientia Juliani animum imbuisse (p. 670). Fatetur Noeldekius se Theonem istum in litteris non redinvenisse et ficticium indicat (p. 672). Nos alexandrinum Theonem Iuliani Caesaris institutorem reminiscimur, spretis tamen ambagibus et fabulandi omnibus ornamentis. Potuit Syri auctor ex 'Epistularum' sylloga Theonis memoriam haurire tunc temporis pleniore. 'Christianus' Theo vix morabitur harum rerum peritos[1]: Vergili Senecae ipsius Hypatiae Theonis filiae meminimus pia fraude in Christianorum castra idcirco ductorum, ut suos a paganorum superstitione revocare parati essent. Quid igitur? Fabula syriaca comprobavit, quod argumentatione aliunde concinnata demonstrare supra conatus sum, diserto ut ita dicam testimonio: inter Julianum Caesarem ac Theonem astronomum et mathematicum alexandrinum intimam consuetudinem intercessisse litterariam.

---

[1]) Cf. Hoche 'Philologus' XV p. 452.

V

E Theonis ad Julianum Caesarem commentario Arateo cognoscitur, quantum vel ea graecarum rerum aetas, quae ultimum adultae iam Christianorum religioni obsistere ausa est, ex Arati carmine robur perceperit. Neque carmen et ne Musa quidem Aratea oblivione periit postmodum. Mitto carmen et ipsum et commentaria. Sed qualis expressa sive poetae editionibus sive commentariis praemitti solebat seriore antiquitatis tempore Uraniae Musae Arateae imago, talis in sacratos Christianorum transiit libros vix et ne vix quidem commutata. Documento sexti saeculi codex est Evangeliorum Rossanensis, e graeca regione in Italiam meridionalem advectus. Cf. Haseloff 'Codex purpureus Rossanensis' Lipsiae 1898 tab. XIV p. 38—40. Cuius de Marco evangelista est haec pictura. Scribendo occupatus sedet Marcus adstante divina figura 'Sapientia sacra' (quemadmodum recte appellant F. X. Kraus 'Geschichte der christlichen Kunst' I p. 468 Haseloffius alii), verum non dictante sed digitum in vacua Evangelistae charta habente, tanquam Marco quamvis scribendo intento monstrare aliquid vellet. Cui gestui reliqua corporis positio omnino accommodata est. Tantum hinc necessario concluditur expressam Sacrae Sapientiae imaginem Rossanensem e vetustiore monumento, cuius primaria persona monstrando reapse ita doceret, ut supellex ea, in quam manum intenderet, inter ipsam et eum, qui assideret, media esset collocata. Quadrant haec egregie in picturam Arateam de Arato et Urania in globo occupatis vel singillatim. Doleo, quod non possum iuxta positas conferre picturas Rossanensem et Arateam; ad Haseloffii tabulam XIV et 'Commentariorum' meorum p. 172—174 relegare cogor.

Memores simus Graecorum Musae rerum caelestium praesidi 'Sapientiam' Evangelistarum in imagine successisse, Sanctam Sophiam Uraniae.

KALENDIS IANVARIIS.